



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.46. S. Theodori Siceotæ initia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. commendavit, hortatus etiam ut quod  
A. C. 582. cunque exoptaret beneficium, a se pe-  
 teret. Rogavit S. Theodorus, ut Mona-  
 sterio frumentum in pauperes erogan-  
 dum concederet. Mauritius illi Mona-  
 sterio sexcentos modios singulis annis  
 pendendos imperavit, & poculum misit,  
 peculiare S. Theodoro donum.

## §. XLVI.

*S. Theodori Siceotæ initia.*

**S**anctus Theodorus in Galatia Siceonii  
 prope Civitatem Anastasiopolitanam  
 natus erat Matre in publico hospicio pro-  
 fituta Patre Belliduce, qui ad Provin-  
 ciam regendam commigrans illuc forte  
 diverterat. Natum mater statim bapti-  
 zari curavit, sollicite educavit, & ipsa  
 vitam omni culpa vacantem ducere in-  
 stituit. Filius ejus ab unguiculis devo-  
 tissime colebat S. Georgium, cujus hono-  
 ri sacra Ecclesia in vicini montis vertice  
 stabat. Adolescens vitam anachoreti-  
 cam amplexus in specu a Festo Nativi-  
 tatis Domini usque ad Dominicam Pal-  
 marum inclusus, diebus tantum Sabbati  
 & Dominicis sponte nascentes fructus &  
 olera manducabat, quod rigidissimum  
 jejunii genus toto vitæ tempore observa-  
 vit. Theodosius Episcopus Anastasiopo-  
 litanus eximias ejus virtutes cognoscens  
 ordinavit Presbyterum, etiamsi necdum  
 annum

vit. c. 1.

c. 2.

c. 3. n. 21.

annum vitæ decimum octavum esset su-  
 pergressus. Postea Theodorus Jero-  
 solymam profectus in Laura, quæ *Chozeba*  
 dicebatur, in Jordanis ripa posita, habi-  
 tum Monasticum recepit. Inde in pa-  
 triam reversus, construi sibi curavit cel-  
 lulam ferream, a cavea non abhorren-  
 tem, alteramque ex ligno, in qua hyemis  
 tempore verteretur, utramque sine tecto.  
 Corpus totum ferro oneraverat, gesta-  
 bat enim thoracem ferreum decem &  
 octo librarum, cingulum, calceamenta,  
 chirothecas, omnia ferrea. Cum multa  
 patraret miracula, magnus confluit Di-  
 scipulorum numerus, partim illorum, qui  
 ipsius ope sanati a carissimo medico re-  
 liquo vitæ tempore nunquam discedere  
 statuerant, partim aliorum, quos late  
 diffusa Sancti Viri fama adduxerat. Quia  
 igitur S. Georgii Oratorium, quod pri-  
 mum condiderat, capientis tot homini-  
 bus impar erat, pulcherrimam Ecclesiam  
 honoribus S. Michaelis dedicatam ædifi-  
 cavit, junxitque duo Oratoria, unum  
 ad dexteram Beatæ Virgini, alteram ad  
 sinistram Sancto Joanni Baptistæ sacrum.  
 Porro Monachi in Oratorio Beatæ Vir-  
 ginis officium celebrabant, quia ægroti  
 & Energumeni, qui ad recipiendam sa-  
 nitatem veniebant, in Ecclesia S. Michae-  
 lis, cujus aditus diu noctuque patebat  
 omnibus, excipiebantur. Discipulorum  
 omnium

Sæculum VI.  
 A.C. 582.

c. 4.

c. 6.

S. Theodor-  
 rus.

Sæculum VI. omnium carissimus S. Theodoro fuit Phi-  
A.C. 582. lumenes, quem ipsi Mater donaverat in  
 grati animi argumentum, cum aliquan-  
 do filii auxilio ab ægritudine sanata fuis-  
 set. Hunc Presbyterum ordinari cura-  
 vit, & Fratibus præfecit. Archidiaco-  
 num vero suum misit Constantinopolim,  
 ut vasa argentea, quibus in officiis Di-  
 vinis ad Altare uterentur, coemeret, ha-  
 ctenus enim lapidea habuerant. Exin-  
 de etiam magnam Ecclesiam in Hono-  
 rem S. Georgii extruxit, eratque in la-  
 tere dextro vetus illius Sancti Oratorium,  
 & in sinistro alterum Oratorium hono-  
 ribus SS. Sergii, & Bachi dicatum.

c. 7. n. 53.

Timotheo Episcopo Anastasiopolita-  
 no fatis functo, Cives & Clerici Episco-  
 pum Ancyranum illius Provinciæ Me-  
 tropolitanum adierunt, petieruntque, ut  
 sibi Abbas Theodorus Episcopus dare-  
 tur. Is libentissime annuit, iussitque,  
 ut Theodorus adduceretur. Tunc erat  
 illud anni tempus, quo neminem ad se  
 admittere, neminem conspicerere sustine-  
 bat; nec aliter quam injectis manibus  
 ex antro suo elici potuit. Itaque An-  
 cyram perductus & Episcopus Anastasio-  
 politanus ordinatus, non minus quam  
 antea virtutibus enituit, claruitque mi-  
 raculis, quæ Georgius, unus Discipulo-  
 rum ejus in vita recenset.

§. XLVII.